Quelle: https://manuscripta.at/?ID=911
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

in cella reclusis per paucis imitabilem exhibuit continen-
tiam. Hic ad extremum ita est diabolicis revelationibus delu-
sus, ut post tantos labores atque virtutes quibus alios mona-
chos excesserat ad iudaismum et circumcisionem carnis mi-
serabiliter sit lapsus. Per multa namque tempora diabolus ve-
lud nuncius veritatis ostendebat illi per vana somnia et quibus-
dam inanibus revelationibus christianorum atque monachorum exerci-
tum tenebrosum ac teterrimum omnique macie tabidum atque de-
formem, econtra ostendebat illi iudeorum plebem summa le-
ticia tripudiantem, ingentique lumine coruscantem, ac per inde
commonebat eum ut si mallet beatitudinis illorum particeps
effici, circumcisionem quoque suscipere festinaret. Ex quibus profec-
to constat memoratis viris tam lugubriter nemo fuisset
illusus, si rationem discretionis assequi laborasset. Quam
obrem inquantum perniciosum sit discretionis gratiam non ha-
bere multorum casus experimenta declarant.

Abbas serapion solebat frequenter iunioribus
fratribus instructionis gratia de seipso narrare di-
cens. Cum adhuc essem parvulus et cum abbate
theone commanerem, hec mihi consuetudo erat inimico immitten-
te, ut postquam fecissem hora nona cum sene unum paximati-
um cotidie in sinu meo latenter abscondere, quem sero
ignorante sene occulte edebam. Quod furtum licet
cotidie perficerem, expleta tamen concupiscentia fraudu-
lenta ad memetipsum revertens, super admissum furtum